

& sunt curmosi & quocienscumque melic de curmos guerram habet cum potentiore se ad istam ciuitatem recurit quia multum est fortis/ & in forti loco sita ita quod non timet de aliaquo. Nulas quidem segetes habet. set ab alio loco ipsas percipiunt. nam illuc mercatores cum nauibus ferrunt. Jsta ciuitas bonum portum habet. Et multi mercatores cum multis nauibus accedunt illuc de Jndya & in ista ciuitate optime uendunt. quoniam ab ista ciuitate feruntur mercimonia & aromata infra terram ad multas ciuitates & castra feruntur etiam ab ista ciuitate multi boni sonipedes in Jndyam ex quibus mercatores magnum lucrum & profectum percipiunt Quoniam ab ista contrata & ab alijs quas supra diximus ferruntur equi in tanta quantitate in Jndyam quod uix credi posset. Jsta quidem ciuitas sita est in introitu. & in ore gulfu de calatu. Jta quod aliqua nauis non ualet intrare neque exire sine uelle ipsius & multociens Melic istius ciuitatis habet magna pacta cum rege de chermam cui subditus est quia quando ille rex siue soldanus de chermam imponit aliquod datium ipsi melic de curmos uel alicui alteri fratrum. 106v° & isti nollent dare. soldanus| uero transmittit suum exercitum ad ipsos uiribus compellendum Jpsi discedunt a cormos & intrantes naues ad istam ciuitatem calatu ueniunt. & ibi permanendo non dimitunt aliquam nauem transire de quo soldanus de chermam predictus percipit magnum dapnum & ideo de necessitate oportet ut faciat pacem cum ipso Melic de curmos. & ei non infert tante peccunie quantitatem quantam petiuerat. Jste melic curmos habet quoddam castrum quod est fortius ciuitate & melius dstringit gulfum & mare. gentes istius contrate uiuunt de dactalis & piscibus salitis. nam in magna quantitate habent. verum est quod ibi sunt quam plures nobiles homines & diuites qui utuntur melioribus cibis nunc de ista ciuitate calatu diximus & de gulfu & de eorum esse discedemus ergo ab ipsa & dicemus de cormos. Nam quando disceditur a ciuitate calatu. & itur circa trecenta miliaria inter magistrum & ttramontanam inuenitur ergo ciuitas cormos. Et discedendi a calatu. & eundo inter ponentem & magistrum circa quingenta miliaria inuenitur chis dimitemus ergo de chis & dicemus de chormos  
De ciuitate Cormos//—

107r° **C**ormos est quedam magna ciuitas & nobilis sita supra mare. & habet melic| quod est nomen dignitatis sicut diceretur Marchyo uel dux. & quam plures ciuitates & castra sub dominio suo habet. Jn ea sunt saraceni legem machometi obseruantes. Jbi intensus calor est & propter intensum calorem *legem Macometi obseruant* ordinauerunt domus eorum ad recolligendum uentum. quia ab illa parte unde uentus flat. apponunt uenterias/ & intrare faciunt uentum in domos eorum. & hoc fatiunt quia non ualerent intensum calorem suffere qui ibi est. De ipsa amplius non dicemus quoniam supra in libro narauimus de ista de chis & de chermam. set quia per aliam uiam tunc iuimus huc etiam nos oportet reuerti.